

Dixi de curriculo studiorum DAVIDIS LOBE-  
C H I I, sed fortassè ita dixi, ut plura etiam dicenda restent,  
quæ quod vel unus omnia non cognoscat, vel comme-  
morare præceps horæ cursus non sinat, alijs explican-  
da relinquo. Iam tum enim hac in parte sum commo-  
ratus diutius: cuius tamen prolixitatis veniam mihi  
haud gravatim dabunt, qui cogitabunt, esse hanc LO-  
B E C H I I nostri ætatem juvenilem, lucidissimum exem-  
plum multarum excellentissimarum virtutum, quod tan-  
quam speculum quoddam intueri deceat omnes, qui  
Deo & Ecclesiæ suæ consecrarunt studia, quiq; in luce  
aliquando vivere, & honestissimam existimationem &  
amorem apud bonos sibi acquirere satagunt. Etenim  
utilitates ac ornamenta hujus vitæ non contingunt ijs,  
qui socordiae atq; ignaviæ dediti vitam traducunt: sed  
vigilando, agendo, ac bonas horas rectè collocando pro-  
sperè omnia cedunt. Nam ut rectissimè præco ille  
*Φιλοπονίας* Orphei, Cassius Parmensis ait:

*Non levis ascensus, si quis petit ardua: sudor  
Plurimus hunc tollit: nocturno exsomnis olivo  
Immoritur: delet, quod mox laudaverat in se,  
Qui cupit aeternæ donari frondis honore.*

Ad alteram nunc vitæ LOB E C H I I nostri partem ac-  
cedo, quam dum breviter quoq; percurro, ut pari me  
benevolentia audiatis, oro.

Res mirabilis est virtutis & pietatis splendor: ha-  
bet enim hoc proprium, ut facile alliciat amatores, fa-  
cile præcones inveniat: præsertim vero juvenes, si tam  
egregiè se gerant, ut reliquæ vita qualis futura sit, faci-  
le conijci possit, non solum facile veniunt in multorum  
hominum notitiam: sed perinde ut vino vendibili non  
est opus hedera, ita illi sui commendationem in fronte  
gerunt